

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


**Prosphonesis ad Virum Magnificum atque Amplissimum  
Dn. Ioh. Ulricum Fridium, Jure-Consultum, & Reipubl.  
Argentorat. Consiliarium: Quem, cum Luctuosissimam  
Fratri, Maximi quondam Viri, heu nunc ...**

**Ledermann, Johann Kaspar**

**Argentorati, 1678**

"Sic ergo infandi renovatas mente doloris [...]"

[urn:nbn:de:bsz:31-135365](#)



**S**ic ergo infandi renovatas mente doloris  
Cogimur attonitâ rursum memorare querelas;  
Quas tulit, ut primos fortis sentisset iniquæ  
Altera Fridiadum quondam, nunc sola superstes  
Gloria, sed gemino luctu circumdata, casus?  
Ipsiis hæc surgunt de pectore namque querelæ,  
Ipsiis hæc tristi luctu nimioque repressam

Vix tandem possunt suspiria solvere vocem:  
Nondum detonuit, nec adhuc discussa procella est,  
Quæ nostræ domui impendet. Pars maxima nostræ  
Non procul hinc adamata animæ, pars optima nuper  
(Atque simul flectu rorantia lumina tergit)  
Erepta est nobis. Animæ spes, altera pars jam  
Nos etiam linquit, (verum incrementa dolorum  
Hic arcent lachrymas) nostrum solamen, & omnis  
Qui posset casus nostros, nostrumque peremptæ  
Conjugis, ut gratos animis repetebat amores,  
Ah! defiderium variis relevare subinde, &  
Fallere blanditiis, mentemque reducere nostram  
Numinis ad mentem; frater dulcissimus orbos  
Nos linquit. Sic ergo suo, qui sanguine crudum  
Vulnus adhuc posset nostrum lenire, refrecto  
Lethalem lateri capulotenus abdidit ensim.

Hæcce equidem non inficiar, dolor ipse quod ingens  
Fraterni imprimis feriat Sensu intima cordis.  
Acalios hic nempe ferit. Nec, flebile funus,  
Luctum communem Patriæ quisquis meminisset,  
Temperet à lachrymis: Quid cives Inlyte Fridi?  
Non fratrem, Patrem mage lamentantur, & hisce  
Significare suos contendunt sponte dolores:  
Si Tu cum nostris valuerint vota precesve,  
Et Tu Fratre Tuo, sed nos potiremur adempto  
Patre, & pro Patria viventi porro salute  
Perpetuas grates olim libare liceret;  
Non rerum hæc facies nobis præsaga futuri  
Tam truculenta foret; Tanti prudentia posthæc

Summa

Summa Viri certè valuisset sæpe juvare  
Successus rerum nostros , & publica duræ  
Detimenta suo studio prævertere eausæ.  
Heu qualis jactura est hæc ! heu pallida magno  
Ægritudo Viro , sed tantæ tristior Urbi.

Multum ergo in nobis esset , solatia si qua  
Nostra valere Tibi possent, animique dolorem  
Demulcere Tuum , Tu qui fratrem , decus alnum  
Ipse decus Patriæ luges , refricasque dolorem :  
Si non Divini jamjam solaminis æqua  
Portio de cœlis animo, velut aureus imber,  
Instillata Tuo , pectus licet igne secundo  
Tentatum & tostum mœrore , refrigeret unda  
Melliflua verbi Numen testantis amicum.  
Cujus ubi placito nutu semperque benigno  
Dependere scias , etiam quæ forte parumper  
Prospera, & adversis fatis profecta videntur ;  
Conçipis æterni solaminis argumentum.  
Ac ideo ne cede malis, sed fortior illa  
Perfer , & ingentes animo quascunque virili  
Ærumnas , & onus nunquam jactandum ab amante  
Nec frustra impositum Domino, consuefce subire.  
Ille etenim obsequium nostrum , fideique salubres  
Exercet vires , & sic impellit ad usque  
Tute triumphantis fias fortissimus Heros.  
Tumque etiam tempestatis vehementior ira  
Fracta repurgati cœli clarissima reddet  
Tempora ; nempe fragor quando quam maximus urget  
Jamjam detonuit. Sed vero Vulnus utrumque  
Qui lenire potest, lenit, crudoque medetur.  
Tu modo Te Patriæ serva , quæ fratri acerba  
Morte satis gravium fuerat perpessa malorum.